Decani Facultatis Medicae

IO. HADRIANI SLEVOGTII

M. D. & PP. itemque Medic, Duc. Provinc.
Academiae h. t. PRO-RECTORIS

Invitatio publica

ad Diſſertationem inauguralem

DE CAVTERIIS,

cui Proluſionis loco nonnulla

ΑΥΤΟΧΕΙΡΙΑϹ

Medicae

ſpecimina praemittuntur.

IENAE,
Litteris GOLLNERIANIS.

Decanus Facultatis Medicae

Io. Hadrianvs Slevogtivs,

Med. D. Anatom. Chir. & Bot. PP.
itemque Med. Duc. Prov.

L. B. S. P. D.

OStendimus nuper, curſoriam διάσκεψιν variae acceptionis vocis ἀυτοχειρίας inſtituentes, natiuam eius ſignificationem, ſecundum elementorum ſuorum, ex quibus in vnum compoſitum vocabulum coaluit, ſenſum aeſtimatam, nil prorſus mali denotare, adeoque τὸ ἀυτοχειρίζειν, rite intellectum, haud maiorem calamitatis alicuius ſuſpicionem priuatis perſonis importare, quam publicæ apud priſcos Græcos rei Τυράννȣ, apud Latinos vero *Latronis*, *Furis*, aut *Sicarii* nomina minitabantur, quae poſtmodum non niſi propter corruptos hominum mores, crudelia partim, partim turpia habita ſunt, ut hodie quoque ſola ſua appellatione terrorem audientibus metumque incutiant.

Inprimis autem *Medicae* αὐτοχειρίας cum honeſtatem, tum utilitatem commendabilem eſſe aſſeruimus: quatenus nemini mortalium vitio verti debet, ſi *propriis* potius *manibus*, quam *alienis*, ſanitatem præſentem conſervare, amiſſamque recuperare nititur, nec oſcitanter ab alio expectat, quod ipſe facere poteſt.

Abundat equidem vniverſa Praxis Medica exemplis, lucem dictis affundentibus; aſt clariora tamen ſunt ſpecimina, & magis in ſenſus incurrunt, quae ex *Chirurgico fonte* deriuantur. Inter quae leviora ſunt, quando ὀδονταλγοῦντες ſibi ipſis per digitos, aut circum iectum filum, dentes evellunt; alii vero ganglia ſimilesque tumores, in glandulis vel folliculis haerentes, quotidie & tamdiu mordent, premunt, quaſſantque, donec in compage eorum laxata nutritio ceſſet, & ex naturae errore exſtructum aedificium a colore vitali lente reſolvatur ac dirvatur. Id quod nonnulli fugae Archei ex loco affecto, & feriis ejus ab opere cœpto lepide adſcribunt:

Curioſior eſt αὐτοχείρησις, quam inter incolas Norvvagiae vigentem, πολυμαθέστατος Th. Bartholinus, Hiſt. an. 88, C. 2, ita deſcribit: *Incolis Norwagiae familiaris eſt catarrhus, qui hyemali tempeſtate ad fauces & uvulam deſtillans, hanc in tantam molem extendit, ut ſuffocationis periculum afferat, niſi mature huic malo ſuccurras. Confugiunt autem, medicamentis deficientibus, ad manuum operam, forficeque quocunque obuio tumentem prolapſamque uvulam abſcindunt, ſine ullo aut vitae, aut vocis diſpendio. Sanguinem profluentem ſtatim ſedant pulte, ex farina & aqua.* Subjungit inſuper celeberimus vir relationi huic figuram inſtrumenti, a ruſtico ibidem inventi, cuius ope nictu citius vitioſam particulam tollunt; cum per forficem ſaepe operatio nec ſatis expedite, nec ſufficienter fiat.

Norvvagis hisce non cedit Italorum quorundam audacia ne dicam, an animoſitas, quam mortis metus in illis excitat,

tat. Quippe cum a ſcorpio puncti, aut a vipera morſi, aliis remediis ſe deſtitutos, & ab hominum auxilio remotos vident, protinus articulum digiti abſcindunt, ne pars ſincera trahatur, & virus lethiferum in vaſa ſerpat.

Crudelius morbo remedium ſibi attulit αὐτολιθότομος ille Faber Amſtelodamenſis, Io. Ionſſon de Doot, qui, Tulpio teſte, Obſ. 31, l. 4, & Epher. Germ. Dec. 1, Anno, 3, obſ. 192, cum diu gravisſima tormenta calculi, & iterata vice ſectionem paſſus eſſet, ut d. 5 Aprilis, ann. 1651, ab atrocisſimis doloribus ſemet liberaret, arrepto cultro horribile vulnus corpori inflixit, per quod ſuis manibus lapidem, quadrantem librae pendentem, extraxit.

Haud multo leuiores dolores Miles quidam Curonus procul dubio ſibi concitaſſet, niſi, verbis celeberrimi Pechlini, lib. 2, obſ. 56, *iſtud, Finnorumque & Livonum genus hominum rigidum & ſupra, quam credi poteſt, laboris non ſolum patientiſſimum eſſet, ſed ad quoscunque dolores mortisque apparatum fere ne contremiſceret quidem.* Hic enim cum a tribus inde annis calculos, ex renibus ad veſicam delatos, effluxum vrinæ ſupprimere animaduertiſſet, immisſoque in penem bacillo, ex ligno iuniperino parato, anguſtum canalem dilatando, lapillis & lotio exitum parare conſueviſſet, aliquando Lubeca Hamburgum tendens, neſcio qua manus levitate lignum profundius adegit, & tandem abrupit, ut magna ejus pars in urethra relicta, poſt emenſum demum aliquot milliarium iter, a Chirurgo per forcipem, non ſine labore extraheretur, milite ipſo ne leviſſimum ſenſus triſtis indicium edente. Cum notum alias ſit, quam acerbos dolores tenuis cereus, aut catheter a perita Chirurgi manu provide in mentulam, immiſſus, excitare valeat, vt ægri mox moleſtum officium ſerio deprecentur.

Audierat hydropica Ohrdrufienſis, aquas ex inciſo ventre emitti poſſe, petieratque aliquoties a peritisſimo

Chirurgo Simone Markio ſimile auxilium; quod cum ille recuſaret, morasque in dies pluſculos necteret, tandem aegra ipſa, molis ſui ventris pertaeſa, cultro umbilicum aperuerat, omnemq; laticem vna vice ſimul cum anima effluere ſiviſſet, niſi accitus Chirurgus vulnus occluſiſſet, & poſtmodum ſecundum Paracenteſeos leges procedendo, mulierem a praeſentiſſimo interitu vindicaſſet.

A quo itidem, notante DD. Sam. Ledelio, obſ. 59, An. 1, Dec. 3, Ephem. Germ. infelix puerpera Seydenbergae, ſuperioris Luſatiae oppido, retrahi potuiſſet, quae, adulterium celatura, cum αὐτοχείρως partum caeſareum moliens, ventrem ingente vulnere apertum, iterum, poſt extractum inde foetum, conſuiſſet, elapſo triduo miſere fatis ceſſit, quia nemo ineptiſſimorum Chirurgorum eius curam ſuſcipere auſus fuit.

Non adducemus, quae D D. Reiſelius, Eph. Germ. Dec. 2, an. 4, Obſ. 7, de iuuene hernioſo, & αὐτοχειρὶ, ſanitatis cauſa, teſticulum ſibi exſcindente habet. Quamuis enim ea omnino huc pertineant, nolumus tamen hac vice exemplis, ab aliis nobisque ipſis obſeruatis, plures paginas implere, vnico potius eoque lepido αὐτοχειρίας ſpecimine colophonem diſcurſui praeliminari impoſituri, quod curationem padagrae ſuccinctam, accuratam, minimeque ſumtuoſam, & proinde, cuicunque lubuerit, imitabilem comprehendet. Tolerauerat Centurio quidam Wellerus, podagricus, per triduum dolores in pede tumente rubenteque atroces: die quarto mutabat patientiam in furorem, & accepto ligno, complanandis linteis inſeruiente, ein Mandelholtz / tamdiu dolentisſimum pedem verberabat, donec animi deliquio correptus, deſiſtere cogeretur; ingentem quidem inde percusſi membri inflammationem, ſed, ea ſedata, perpetuam a padagra immunitatem reportans.

Misſis

Miſſis hiſce, tranſimus ad ſcopum, cui brevem vitae atque ſtudiorum clariſſimi Medicinae Candidati

IACOBI FRIDERICI GERBERI

Zittavia-Luſati

hiſtoriam praemittimus. Patriam diximus eſſe Zittaviam, inter ſex illas ſuperioris Luſatiae vrbes maxime ſpectabilem, vbi anno ſalutis MDCLXXVIII, d. 24 Iulii, in lucem editus, patrem habuit celeberrimum Medicum, DD. Fridericum Gerberum, ante XVI. annos inter coelites relatum. Mater eſt adhuc in vivis, Emerentia, optima matrona, ex ſplendida & conſulari Griſiorum familia oriunda.

Quamprimum per aetatem licuit, pietatis fundamentis probe imbutus, per induſtriam Praeceptorum privatorum, & ſingularem favorem Dn. M. Adami Miri, Gymnaſii Zittau. Conrectoris, affinisque ſui honoratiſſimi, bonis literis ita inſtructus fuit, vt in laudati Gymnaſii ſuperiorem claſſem receptus, Dn. Chriſtiani Weiſſii, Rectoris longe meritiſſimi, doctiſſimis acroaſibus & oratoriis actibus cum fructu intereſſe poſſet. Venit ad nos d. 10 Maii, MDCC, & ab illuſtri Wildvogelio, tunc Academiae faſces gerente, inter Studioſos receptus, in ſcholis Logicis & Metaphyſicis Hebenſtreitianis, Phyſicisque Hambergerianis & Poſnerianis ad ſtudium Medicum ſe ita praeparauit, vt cum rudimenta artis a Fratre dilectiſſimo, DD. Chriſtiano Friderico Gerbero, Practico in patria feliciſſimo, dudum tradita accepiſſit, idoneus auditor publicorum Profeſſorum evaderet. Inprimis vero ex famigeratiſſimi Medici, DD. Georgii Wolffgangii Wedelii, Haereditarii in Svvarza, M. D. & Theoret. PP. Com. Pal. Caeſ. Conſil. & Archiatri Saxonici ſplendidiſſimi, commentationibus publicis & priuatis ad Inſtitutiones, Pathologiam, Semioticam, Therapeuticam, Materiam Medicam & cognitionem melio-

lio-

liorum Scriptorum, maximum ſtudiorum incrementum ſe accepiſſe gratus profitetur. Iunxit his DD. Erneſt Heinrici. Wedelii, M. D. & PP. Extr. Med. Provin. Vinar. & Poliatri Ienenſis celeberrimi, explicationes Inſtitutionum, Chimiae & Aphoriſmorum Hipp. ſolertisſimas; nec intermiſit mearum demonſtrationum Botanicarum & Chirurgicarum, potisſimum vero Anatomicarum, domi in brutis, & publice in duobus ſubiectis maſculinis totidemque foemininis, iisque grauidis inſtitutarum, ſedulum attentumque ſpectatorem ſe exhibere. Anno MDCCIII, domum vocatus, tentavit in noſtra aliisque, in tranſitu ſalutatis Academiis, hauſta dogmata ad Praxin accommodare, quod non ſolum aliquamdiu in patria, ſed poſtmodum quoque per duos continuos annos Gerae Variſcorum ipſi feliciter cesſit. Receptus enim in aedes celeberrimi Medici, DD. Io. Chriſt. Zopfii, Illuſt. Com. de Reus Archiatri ſpectatisſimi, & advberrimae praxeos exercitia plenisſime admiſſus, eo ſua ſtudia deduxit, vt iure ſummos in Medicina honores ambire poſſet. Vocatus ad conſueta examina abunde nobis ſatisfecit, facietque idem publico Auditorio, ſi Cathedram ſub meo Praeſidio conſcenderit, de CAVTERIIS docte cum Commilitonibus diſputaturus. Quem actum inauguralem vt Magnificus Dn. Pro-Rector deſignatus, Patres Academiae venerandi, Hoſpites omnium ordinum honoratisſimi, nobilisſimaque Philiatrorum Concio ſua praeſentia illuſtrare velint, eſt quod nomine Collegii Medici officioſe & amanter peto.

PP. ſub Sigillo Facultatis, d. V Febr. MDCCVIII.

(L. S.)